



Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1860

V. Bischof Jaromar von Camin genehmigt die Errichtung eines Augustinerklosters in Königsberg und spendet demselben mehrere Wohlthaten, am 11. Mai 1290.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55515](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55515)

IV. Das Domcapitel zu Camin stellt die Bestätigung der zu Königsberg und Friedeberg neu errichteten Ordenshäuser der Augustiner seinem erwählten Bischöfe anheim, am 20. April 1290.

Reuerendo in cristo patri domino h. electo ecclesie Caminensis l. prepositus, Jo. decanus totumque Capitulum eiusdem ecclesie deuotas oraciones in cristo Frater h. prior fratrum heremitarum ordinis sancti augustini domus lippen cum fratre h. eiusdem ordinis professo ad nostrum Capitulum accesserunt humiliter supplicantes, quod super foundationibus domorum suarum, videlicet Conigelberch et vredeberch nouiter instaurandarum piam assensum et confirmationem vtilem preberemus ad diuinum officium et alia a sede apostolica eis indulta scilicet predicandi, Confessiones audiendi et sepeliendi mortuorum, qui apud ipsos elegerint sepulturam. Nos igitur, cum sine vobis nichil facere debeamus, quantum in nobis est, ratum et gratum habentes, quod eorum humilis peticio expetiuit, Paternitatem vestram rogamus, cuius interest, diuinum cultum non minuire sed augere, cum eis et pro eis supplicantes, quatenus quod eorum deuotio apud vos nititur obtinere effectu vili mancipetis. Datum anno domini M^o CC^o LXXXX, proxima quinta feria post dominicam qua Cantatur Misericordia domini.

Nach dem Originale des Königsberger Stadtarchives No. 3.

V. Bischof Jaromar von Camin genehmigt die Errichtung eines Augustinerklosters in Königsberg und spendet demselben mehrere Wohlthaten, am 11. Mai 1290.

Jaromarus, Dei gracia ecclesie Caminensis electus, non confirmatus, universis Christi fidelibus, ad quos presens scriptum pervenerit, salutem et sinceram in domino karitatem. Cum ad honorem Dei et profectum ecclesie promovendum pariter et augendum quilibet fidelis debeat intendere, Nos, qui ceteris in hoc mundo plus aliquid accepisse cernimur, divinam laudem et animarum salutem debemus pre aliis amplius procurare. Noverit igitur karitas singulorum, quos Nos dilectis in Christo filiis, generali et ceteris Prioribus et fratribus presbyteris heremitis ordinis Sancti Augustini tenore presencium indulimus et indulgemus domum de novo in civitate Kunegesberch, que infra limites nostre dioceseos est situata, construere et fundare et bona quelibet a fidelibus oblata acceptare vel eciam denariis propriis seu sua pecunia comparare sine prejudicio juris alieni, Ratum et gratum habentes, si in loco prefato ab ipsis fratribus domus, in qua in divinis officiis, vigiliis ac oracionibus ipsi fratres omnipotenti Deo devocius famulentur, jam nunc fundata est et instaurata. Preterea priori ejusdem domus, qui nunc est et qui in posterum ibidem juxta sepe dictorum fratrum ordinacionem institutus fuerit, specialem gratiam facimus, ut idem locus Deo cooperante magis pululare valeat, quod in nostra diocesi vice nostri, confessiones audire et penitencias injungere valeat per triennium, dum tamen fideles, qui causa devocionis ad ipsum priorem recurrint, proprios sacerdotes non evitent. Nihilominus indulgemus dicto priori et fratribus suis, quibus

dominus gratiam contulerit predicandi, populo verbum Dei pronuntiare. Ceterum ratas et gratas habemus indulgencias a ceteris venerabilibus archiepiscopis et episcopis domui et ordini predictis pie et misericorditer indultas. Insuper devocionem singulorum in Christo monemus, hortamur et rogamus, quatenus secundum facultates suas quisque fidelis eidem plantacioni novelle in remedium suorum peccatorum manus porrigat adjutrices. Datum in Germin, Anno MCCLXXX, feria secunda post ascensionem domini nostri Jesu Christi.

Aus Dietmann's Urkunden-Sammlung des Königl. Geh. Staatsarchives f. 271. Kehrberg I, 129, übereinstimmend mit dem Originale des Königsberger Stadtarchives No. 4.

VI. Erich, Erzbischof zu Magdeburg, sichert den Wohlthättern des Augustiner-Klosters zu Königsberg Ablass zu, am 23. Juni 1291.

Ericus, dei gracia sancte Magdeburgensis Ecclesie archiepiscopus, Omnibus presens scriptum intuentibus salutem in domino. Cupientes in cristo quolibet fideles ad bona opera pro salute ipsorum speciali premio prouocare, Omnibus uere penitentibus et confessis, qui dilectis nobis in cristo fratribus ordinis heremitarum sancti Augustini in Congelberech domino famulantibus manum porrexerint adiutricem elemosinis uel labore quique ad eorum ecclesiam in Natiuitate domini, Epiphania, Pasche, Ascensionis, Penthecostes et in festiuitatibus beate Marie virginis, omnium sanctorum ac in festis beati Augustini, in dedicatione et anniuersariis dedicationis atque patronorum, necnon in festis apostolorum ac per octauas festiuitatum predictarum deuocionis causa acceperint, diuine propiciationis gratiam petitori, de omnipotentis dei misericordia et beatorum martirum Mauricii sociorumque eius auctoritate confisi, accedente tamen consensu dyocesani, Quadraginta dies et karenam in domino misericorditer relaxamus. Datum Magdeburg, Anno domini M^o CC^o Nongesimo primo, in vigilia beati Johannis baptiste.

Nach dem Originale des Königsberger Stadtarchives No. 5.

VII. Bischof Peter von Camin gestattet den Augustinern in seiner Diocese unter gewissen Einschränkungen das Recht zu predigen, Absolution zu ertheilen und Leichenbestattungen vorzunehmen, am 23. März 1297.

Frater Petrus, dei gracia Caminensis ecclesie Episcopus, vniuersis cristi fidelibus, ad quos presens scriptum peruenerit, Salutem in domino. Cum ex officii nostri debito nostrum elaboret et inuigilet studium, ut cultus diuini ampliatur nominis et ut Religiosorum dilatetur numerus,